

in sacramentis, commune est cum impiis! Apperiat Deus illis oculos. Ex
 commento idololatricae transsubstantiationis nata est haec praua opinio. Sub-
 stantiale huius coenae est *κοινωνία* cum Christo. Iam sicut illa insertio sicut
 toties diximus sine fide fieri non potest, ita sacramenta instituta sunt pro cre-
 dentibus, non pro impiis. Ad quem enim non pertinent literae promissionis, 5
 eidem inutile etiam est sigillum. Deinde quum illa praesentia et copulatio
 veri corporis cum symbolis sit imaginaria, non ex verbo Dei, sed ex arbitrio
 hominum conficta, iam euanuit illud *μορμολύκειον* de manducatione veri
 corporis cum impiis. Si vrgent, quid sumant impii, dico eos sibi sumere iudi-
 cium, hoc est ista sumptione contumeliosa in Deum cumulare sibi iram Dei 10
 et attrahere horribiles poenas corporales et aeternas. Sed excipiunt illi: At-
 tamen [39:] Paulus dicit: „tales fieri reos corporis et sanguinis Christi“, item:
 „non discernere corpus domini.“¹³⁶ Hoc autem dicere non posset, nisi impij
 fruerentur ipso corpore. Res enim absens non potest violari. Ex vno absurdo
 sequi infinita, res ipsa in tota vita ostendit, quia igitur isti disputatores pati- 15
 untur sese abduci a ministerio et ministerij praesentia ad alienas speculatio-
 nes, ideo inuoluuntur somniis inextricabilibus. „Qui vos spernit, me sper-
 nit“,¹³⁷ inquit Christus de omnibus piis doctoribus. Ita contemptus ministerij
 pertinet ad Christum, qui est autor huius ordinationis. Multo magis peccant,
 qui hoc sigillo noui testamenti abutuntur, qui prae se ferunt, sese cum Chris- 20
 to foedus inire paratos, cum interea sint membra diabolorum, qui Christo
 maledicunt, tales reuera corpus et sanguinem Christi contumelia afficiunt
 sicut latrones, qui Christum crucifigunt. Abutens sigillo caesaris maiestatem
 caesaris offendit et reus criminis laesae maiestatis pronuntiatur. Ita profecto
 reus est corporis et sanguinis Christi, qui sigillum corporis et sanguinis 25
 Christi contempsit. Additur vero etiam ratio huius grauis peccati, quod tales
 non discernant corpus domini, hoc est quod non hunc sacrum cibum a pro-
 fano discernant, quod non afferant fidem nec statuunt hunc cibum eo esse
 institutum, vt sit distributio corporis et sanguinis Christi, id est omnium be-
 neficiorum Christi, et nos coniungat cum Christo vera et viuifica consociati- 30
 one. Huic perspicuae et simplici expositioni, siqui refragantur, illorum petu-
 lantia profecto odio digna est. Nam vide quaeso incogitantiam hominum.
 Etiam illi ipsi, qui vrgent praesentiam veri corporis, fateantur necesse est
 reatum illum tantum esse ex relatione, videlicet propter contemptum, non
 vero propter aliquem cruciatum corporalem, lacerationem vel affectionem 35
 qualemcunque. Nam corpori Christi, quod amplius non moritur, nulla nunc
 realis vel contumelia corporalis [40:] fieri potest. Quare haerent in manifesta
 contradictione. Quam futilis etiam cauillatio illorum est, qui dicunt non fieri
 institutionem Christi et sacramenta irrita propter hominum incredulitatem.
 Omnes igitur accedentes manducare verum corpus. Scire oportebat recte in- 40

¹³⁶ Vgl. I Kor 11,29.

¹³⁷ Lk 10,16.